



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,  
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,  
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non  
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de  
Lugduni, 1652-1663**

Excellent[issi]mo D. D. Petro Carrillo De Acvna Compostellano  
Archiepiscopo, Regni Galleciæ Gubernatori, ac Generali DuciAntonivs De  
Escobar & Mendoza è Societate Iesv, perpetuam felicitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)



EXCELLENT<sup>MO</sup> D. D. PETRO

CARRILLO  
DE ACVNA  
COMPOSTELLANO

Archiepiscopo, Regni Galleciæ Gubernatori, ac Generali Duci.

ANTONIUS DE ESCOBAR  
& Mendoza e Societate IESV,  
perpetuam felicitatem.



*VI* librum condit, (canebat Græcus Menander) prius debet tutelarem adire Diuum, quam opus luci dedat. Non est equidem facile auctoritatem nouis libris dare, nisi magnus adsit, benignusque Mecænas: nec cordatus est, qui sine protectore audit inter tot Aristarchos in publicum prodire. Ille autem (pergit Poëta) ad protegendum aptus erit, qui maiestate generis, comitate morum, ac potentia præstare videbitur. Ergo felix admodum mihi fortuna tecum est. ILLVSTRISSE ANTIISTES, PRINCEPS

ã 2 Ex

EXCELLENTISSIME, quis enim Mecenas meo Volumini tuendo potior esse potest, quam ille, in quo agnata maiestas elucet, morum eminent comitas, & militaris potentia exsplendescit.

Magna quidem Tibi maiestas est ducta ab auis, atauisque amplissimis. Tuæ præclarissimæ familiæ Carrillorum & Acunharum. Heroës totam Hispaniam & litteris, & armis nobilitarunt. Testor egregios Principes, qui Hispanicum orbem aut moderantur, aut exornant! Tot eruditissimos Viros in supremo Prætorio Iustitiæ, & Cameræ collocatos. Strenuos Milites, qui Militarium Ordinum stemmatibus insigniti feliciter dimicarunt. An aliena laudo, cum auos, atauosque tuos commendare pergo? Profecto nemo dixerit aliena à Christo Domino esse, quæ Matthæus latè recenset; cum Patres optimos, Reges maximos, Ducesque strenuos commendat ab Abrahamo ad Nathanum usque (cap. i. v. i.) priusquam illud adiciat, *Natus est Iesus*: scilicet (Paulino epist. 10. teste) *Dignum erat, ut unus in cælo Dei Filius, etiam in terris illustrium virorum sibi apices vindicaret*. Cum autem *sanguinis nobilitas in actibus rutilet* (vti aiebat Ausonius) illæ quidem in Te ostendunt Nepotem tantum ab auita maiestate non defecisse.

At sciens laudem ab auita Domo ingestam minus Tibi placere, qui virtutem colis seueriorem: ad Comitatem morum celebrandam, me recipio.

ELSCO

Theob

Tom II

E

recipio. Inter alia, quibus Pontifex suum tuetur  
munus, veritas est, ac bonitas. Ad iustitiam  
veritas, spectat, bonitas ad sanctitatem. *Pones,*  
inquit Deus, *in Rationali iudicij doctrinam, &*  
*veritatem.* EXO.28. v.30. Hoc, PRÆSVL EX-  
CELLENTISSIME, deiscito tua virtus constat.  
Nihil enim Deus iubet, quod tuos in mores  
non transcripseris. Norunt Vallisoletani, quid  
& Vespertinus, & Primarius legum Interpres  
egeris: quid Canonicus Pœnitentiarius, quid Vi-  
carius Generalis, & Ordinarius plurimorum Præ-  
sulum apud S. Inquisitionis Tribunal Illustrissi-  
mi Sanctæ Crucis Collegij alumnus præstiteris.  
Novit Roma, apud quam augustissimo Rotæ  
tribunali per aliquot annos Iuris publici, ac pri-  
uati tuitus es inter diuersas totius orbis Natio-  
nes. Novit Vallisoletanum Regium Tribunal,  
cuius Præsidem omnium plausu gessisti. Cogno-  
uit Salmantica, quæ Te illustrissimum fuit vene-  
rata Præsulem. Videt Cornpostella, quæ tam  
egregio nunc Archiepiscopo exultat. Nec mi-  
ror, Te non vno tantum loco Præfectum homi-  
num sedisse, sed ab vna aliam in sedem transmeas-  
se feliciter: vt quæ vno latebant in angulo virtu-  
tum dotes, inspicerent intimi homines plurimi,  
& Iudices, ac Præsules haberent quem possent  
imitari. In cunctis enim, quæ gessisti, muneribus  
(vti Panegyristes de Olibrio canebat) *Actus prio-*  
*res in Te repetitus honor commendat.* Eo respe-

Et tu Deus Abrahamum de Charris in Chana-  
næam, è Chananæa in Ægyptum, ex Ægypto  
in Terram promissam manuduxisse, multisque  
hominibus ostentasse visus est, vt eis patefaceret  
tanti viri pietatem, ac religionem, quod Theo-  
doreto placuit. Profecto ab vno loco in alium  
*benefaciendo pertransisti, non ditior, sed glorio-  
sior*, quod Isocrates suo in Demonico laudat.  
Scio (ait Apostolus) *abundare*. Philip. 4. v. 12.  
Exponit Anselmus, *Qui non solus possidet, quod  
accepit, sed tum indigentibus misericorditer diui-  
dit, ille scit abundare*. O quantum hac in scien-  
tia profecisti! Bene norunt, qui pauperum gre-  
ges à tuis foribus quotidie alacres, & onustos  
abire prospectant. Nouit & Compostellanum  
Collegium nostrum, cuius egestati sine intermis-  
sione succurris.

Si denique in Mecænate *Potentia*, debeat ex-  
plendescere: *gentilitiam, ac matricem Familie  
tuæ* (vt cum Tertuliano loquar) *militarium glo-  
riam representas*. Habent enim hoc præclara in-  
genia, & excellentes naturæ, vt occasione pulsante,  
virtutes prorumpant in patrias. Videt Te  
Galleciana acies tam peritè Imperatorem agere,  
vt non tam sub leni infula, quam sub dura galea  
consenuisse videreris. Gloriosè quidem, vt qui  
solitus eras mentes aduersus inuisibiles hostes  
efformare, aduersus visibiles etiam exercitum in-  
strueres. Quod de vno Iosue sapiens canit Ec-  
cles.

cl. 46. *Gloriam adeptus est in tollendo manus suas,  
& iactando contra ciuitates romphæas: stare contra  
hostes, & prohibere gentes à peccatis.*

Cum igitur PONTIFEX EXCELLENTISSIME,  
optimi Mecænatis impleas proprietates, non  
erit iam, qui me Tui patrociniij concepta spe  
beatum deneget. Tuo itaque exuberanti fulgore  
in fonte mei voluminis effulgente, beneuolas  
mentes exhilarandas, & prauas ac inuidas exu-  
rendas non dubito. Meum autem quale qua-  
le officium hoc opto quantum habeat, non  
propter me, qui nihil sum, sed ob Societatem  
Tuam, per quam & non nihil iam, & Tuum,  
me profiteor.

Facultas